

Laus A

Laus humana non appeti a sapiente sed subsequi debet sapientes et recte facientem ut illi proficiant qui etiam imitari possunt quod laudant.

Augustinus de sermone Domini in monte.

Laus B

Securitas laudis in laude Dei est. Ubi laudator securus est, ubi non timet ne de laudato erubescat.

Augustinus super Psalmos.

Laus C

Bonum laudare non laudato, sed laudantibus prodest.

Augustinus super Iohannem.

Laus D

Ibi est a vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione segura est.

Augustinus ad Diascorum.

Laus E

Non huius laudis vires sentit, nisi qui ei bellum in dixerit, quia et si cui quam facile est laude carere dum negatur, difficile est ea non delectari dum offertur.

Augustinus ibidem.

Laus F

Non prohibet videri ut Deus laudetur, sed videri ut ipsi laudentur.

Augustinus super illud Matthei 6: Ne iusticiam vestram faciatis cor hominum ut videamini et cetera.

Laus G

Hanc opinionem faciliter praesumptam queso deponas, tuumque animum quamvis erga me benivolentissimum solvas atque eruas, ac de me michi magis quam ulli alteri credas.

Augustinus in epistola ad Voluscianum.

Laus H

Hec valde gaudere debemus quando laudamur, nec contristari quando vituperamur, quia nec depravare iniuria nec coronare potest laus aliena.

Ibidem.

Laus I

Quid est quod dicis, ego dives, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, taceas laudes tuas, qui miseraciones tuas non consideras.

Augustinus de doctrina christiana.

Laus K

Esse humilem est nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur.

Augustinus super illud Psalmi 5.

Laus L

Apulegius auditoribus suis admirantibus doctrinam commendabat non aviditate consequende laudis, sed caritate seminande veritatis.

Augustinus super Genesim.

Laus M

Laudamus mendaciter, delectamur inaniter; et vani sunt qui laudantur, et mendaces qui laudant. Alii laudantur et ficti sunt, alii laudant quod putant et falsi sunt, alii utrorumque preconiis gloriantur et vani sunt.

Augustinus in quadam epistola.

Laus N

Dicit sermo divinus ne laudaveris hominem in vita sua tamquam si diceret. Lauda post mortem, magnifica post consumacionem. Duplici tamen ex causa utilius est homini memorie laudem dare quam vite, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulacio nocet nec laudatum tentet elacio. Lauda ergo post pericula predica securum lauda navigantis felicitatem, sed cum pervenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem dives possit hic sine trepidacione laudari qui et de preterito meminit se habere quod doleat et de futuro videt sibi superesse quod timeat.

Ambrosius in natali sancti Eusebii.

Laus O

Plures in hoc ipso placere cupiunt quod placere contemnunt, et mirum in modum laudum vitatur appetitur.

Hieronymus in epistola.

Laus P

Vilium satis hominum est et suam laudem querencium alios viles facere, quia alterius vituperacione se laudari putant, et qui suo merito placere non possunt, placere nolunt in comparacione peiorum.

Hieronymus in epistola.

Laus Q

Cave ne hominum rumusculos acceperis, cave ne offensam Dei populorum laudes commutes.

Hieronymus ad Nepocianum.

Laus R

Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum ne requiras, quia quamvis alicui sit facile laudem non curare dum negatur, est tamen difficile ea non delectari cum offertur.

Hieronymus ad Celanciam.

Laus S

Sepe bono operi dum laus humana obviat mentem operantis immutat, que quamvis quesita non fuerat tamen oblata delectat.

Gregorius in moralibus.

Laus T

Pene omne quod de Deo dicitur, eo ipso iam indignum est quod potuit dici. Nam cuius laudi non sufficit obstupescens consciencia, quomodo sufficit loquens lingua?

Gregorius ibidem.

Laus U

Laus sua iustos cruciat, iniquos exultat; sed iustos dum cruciat purgat, iniquos dum letificat reprobos monstrat.

Gregorius ibidem.

Laus X

Cum per accepta bona reprobis in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt.

Gregorius libro 8. moralium.

Laus Y

Qui inchoate virtutis ab humano honore laudem reciperit quasi plantati ligni ante tempus comedit.

Ibidem.

Laus Z

Quo arbor altius ad superiora surrexerit eo vim ventorum vehemencius sentit, quia quo plus quisque in bona opera attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur.

Gregorius 22. moralium.

Laus AB

Valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam querere, ut de illata laude nesciat privata exultatione gaudere.

Ibidem.

Laus AC

Quasi latrunculus est appetitus laudis humane qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, ut ex occultis educto gladio gradiencium vita trucidetur.

Gregorius ibidem.

Laus AD

Nescit laudem dum suppetit fugere qui ad hanc didicit cum deesset anhelare.

Gregorius in pastorali.

Laus AE

Cum enim pro recto opere laus transitoria queritur, eterna retributione res digna vili precio venundatur.

Gregorius ibidem.

Laus AF

Quisquis laudis concupiscencias calcare non sufficit, edificacionis fraudem perpetrat, si bona que egit occultat.

Gregorius ibidem.

Laus AG

Laus in nobis referatur ad ipsum laudabilium universorum auctorem et largitiorem, non fecte quemadmodum ab hypocritis, non sola consuetudine sicut a secularibus, sed nec necessitate quidem ut iumenta ferendis oneribus applicantur, sed sicut decet sanctos sinceritate fida devocione sollicita hilaritate grata, sed non dissoluta.

Bernardus super Cantica.

Laus AH

Extrema demencia est nulla imminente necessitate rerum et necessitate violenta propriis laudibus velle decorari. Non est secundum Deum loqui iudicium est potius istud insanie, hoc enim omnem nobis mercedem evacuat.

Chrysostomus de laudibus Pauli homelia 5.

Laus AI

Non laudatur de fide leprosus quia in lege doctus, hic alienigena scilicet centurio laudatur, quia legis ignarus, in modico enim sermone sapientie plus laudatur rusticus quam in magno philosophus, et puer si aliquid dixerit sapienter laudatur ubi perfectior non auditur.

Chrysostomus super illud Matthei 8: Audiens Ihesus miratus est.

Laus AK

Iustum est ut bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus hominum clamoribus incitatur, et insonantium manibus agitur ut mutis animabus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter invenimus.

Cassiodorus libro 1. epistolarum.

Laus AL

Gloriosis quippe graciosa sunt preconia quam tributa, quia stipendium et tyranno impeditur, laudis autem predicatio non nisi bono principi debetur.

Cassiodorus libro 2. epistolarum.

Laus AM

Generosus est parentes laudas, dives est; non credo fortune validus est egritudine fatigabitur, pernix est; abiit in senectutem, formosus est; expecta parum et non erit.

Apulegius de deo Socratis.

Laus AN

In homine quoque illud laudandum est quod ipsius est, familiam formosam habet et domum pulchram multum serit multum fenerat, nichil horum in ipso est, sed citra ipsum lauda in illo quod nec eripi potest nec dari quod proprium hominis est queris quid sit. Animus et ratio in animo perfecta. Quid autem est ratio, hoc ab illo exigit rem facillimam secundum naturam suam vivere.

Seneca 41. epistola.

Laus AO

Quid stultius est quam in homine aliena laudare? Quid eo demencius qui ea miratur que ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet.

Seneca ibidem.

Laus AP

Lauda parce, vitupera parcius, similiter enim reprehensibilis nimia laudacio et immoderata vituperacio, illa siquidem adulacione ista malignitate suspecta est, testimonium veritati non amicicie reddas.

Seneca in epistola.

Laus AQ

Sit tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. Letior esto quociens displices malis et malorum de te estimaciones pravas, veram tibi laudacionem ascribe sectator epularum, non de bene vivente sed de bene pascente laudabilem profert sentenciam.

Seneca de quattuor virtutibus in quadam epistola.

Laus AR

Nolo, nolo laudes me. O magnum virum contempsit omnia, et damnatis humane vite furoribus fugit, nichil damni nisi me. Non est quod proficiendi causa venire ad me velis, erras qui hinc aliquid auxilii speras, non medicus sed eger hic habitat. Malo illa cum discesseris dicas; ego istum bonum hominem putabam et eruditum, erexeram aures, destitutus sum; nichil vidi nil audivi quod concupiscere ad quod reverterer cum secesseris, non est agendum hoc unde te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid autem loqueris quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male extima.

Seneca ibidem 69. epistola.

Laus AS

Bonum est laudari, sed prestancius est esse laudabilem, neminem cito laudaveris, neminem cito accusaveris. Viciium est omnia credere; viciium est nichil credere.

Seneca libro de moribus.

Laus AT

Parva laude dignus est qui tantum miseris antefertur. Lascivia et laus numquam habent concordiam, quam magnum est nolle laudari et esse laudabilem.

Seneca in proverbiiis.